

ter lapidem, & metallum habere videntur. Alii omnes divisiones reprobant præter Lapidem & Metallum. Quidam sunt pro sola Terra, & succo concreto. *Wormius* fossilia dividit in media Mineralia, Lapides, & Metalla; Media Mineralia illa vocat, quæ mediam quasi naturam habent inter Lapides & Metalla; hæc rursùm sunt vel Terræ, vel Sales, vel Sulphura, vel Bitumina. Divisionem fossilium uberiores vide in *Tabula Swenckfeldi* præfixa *Lib. de Fossilibus Silesiæ*.

Fluida, pellucida, non ardentia: A Q U A Medicata.
Densa & solida.

Nobis Mineralia sunt vel corpora

- Non ardentia.
 - Friabilia.
 - Dura & ponderosa.
 - Ex particulis terreis consistentia: L A P I D E S.
 - Metallis accedentia. MINERALIA.
 - Leviora & friabiliora.
 - Pellucida, in aqua solubilia, sapore pungente: S A L.
 - Non pellucida, sapore astringente. T E R R A.
 - Non friabilia, ductilia, fusilia, splendentia: M E T A L L A.
- Ardentia, in aqua non solubilia: S U L P H U R.

Cruda, succis, terris, lapidibus permixta, nondum excocta, aut purgata, ut *Venæ*, & *Mineræ*.

Humida, ut *Succi Mineræ*.

Residua ex metallis dum liquantur, *Scoriæ*, *Pompholyx*, &c.

Lapidum divisionem & Tabulam proprio in loco inveniet Lector, viz. præfixam Sect. VI.

SECTIO PRIMA.

De Aquis Medicamentosis.

Aquæ nativæ, quæ usui Pharmaceutico inserviunt, tum simpliciores sunt, tum minerales.

I. Aquæ Simpliciores.

1. *Aqua fontana* *Offic. Spring Water*. Est omnium purissima & utilitissima. N. 1. Ad omnia recipitur, ad quæ aqua sine peculiari men-

tione alterius, e. g. pluvie, &c. recipi jubetur. N. 2. Præfertur inter fontanas quæ fluit ab Oriente ad Occidentem, quæ decurrit à montanis locis altioribus, item quæ visu, gustu, & olfactu, pura, clara, tenuis, levis, ac sincera deprehenditur, ut & quæ citò incalescit, & citò refrigeratur; quæ Hyeme calidior; æstate frigidior. Aquam hanc injecto pane tosto corrigere, ægrotisque, loco potus, sat grati concedere nostrates consueverunt. *Schrod.*

Lotiones in aqua fontana, seu Balnea frigida Veteribus in frequenti usu fuisse ad varios morbos sanandos legimus; nuperrimè etiam plurimùm commendantur à medicis nonnullis eruditis; inter quos eminet D. *J. Floyer, Eq. Aurat. M. D.* scripto non ità pridem libello de eorum usibus, titulo *Antiquæ Ψυχρολουίας redivivæ*, &c. in quo p. 22. & 23. Catalogum exhibuit Morborum Aquis Balnearum *St. Chaddi* prope *Lichfeldiam* sanabilium.

Balnea autem frigida in quatuor genera dividit, viz. primum est eorum quæ moderatum obtinent calorem, uno tantùm gradu corporis nostri humoribus minorem; cujusmodi sunt Balnea frigida *Buxtoni* in *Derbia*, & *Bristolie* in *Somersetia*. 2. Aquæ fluviales æstivo sole calefactæ. 3. Aquæ fontium frigidissimorum, quales sunt *S. Winifridæ* in *Com. Flint*, & *Serbach* in *Lancastria*, *S. Chad* supradictæ, &c. 4. Fontes frigidæ minerali quodam imprægnati, ut 1. Sulphuris foetidi fontes, cujusmodi sunt *Godshallæ* in *Staffordia*, & *D. Nath. Cursoni*, Equ. Aurat. prope *Derbiam*. 2. Aquæ Vitriolicæ. 3. Aquæ vitriolo Cupri infectæ. 4. Fontes Salini & Aqua Marina. 5. Aquæ petrificantes, ut *Newnhamenses*, in *Warwicensi* Comitatu, &c. 6. Aquæ bituminosæ, ad *Walslow Bridge* in *Staffordia*, &c. 7. Aquæ Nitrosæ purgantes. 8. Aquæ plumbo imprægnatæ, ad *Holywell*, &c. 9. Aquæ Stannoæ in *Devonia* & *Cornubia*. 10. Alabastrites, ut prope *Tutbury* in *Staffordia*. 11. Aquæ margâ tinctæ, ut quæ prope *Hinchley* in *Leicestria* habentur. 12. Aquæ calce imbutæ, ut quæ prope *Verulamium* in *Hartfordia*, & *Walshall* in *Staffordia* occurrunt. Qui plura velint, librum ipsum consulant: Quem in Latinum versum in *Hollandia* impressum iri audio.

Præter morbos prædictos *S. Chaddi* aquis sanabiles, aliæ plurimæ medelæ insignes Balneis frigidis effectæ, per totum librum memorantur, quarum multæ ab eruditis medicis hodie viventibus observatæ sunt.

A. 2. *Aqua Putealis* *Offic. Well Water*. Fontana vilior, & crudior ut plurimùm habetur; eò quod

quod ponderosior plerumque sit ac linguam magis feriens. Verum si ex vivis scaturiat scaturiginibus, reliquisque bonitatis signis abundat; illius vices subire haud inepta est.

A. 3. Aqua fluvialis *Offic. River-Water*. Quod radiis solaribus exposita fuit, magis habetur digesta quidem, quam putealis: Verumtamen in usurpatione ejus, non erit inutile, spectare, unde originem trahat, quoque perlabatur.

A. 4. Aqua Palustris *Offic. Pond-Water*. Pessima omnium censetur, adeoque à Medicina eliminanda.

A. 5. Aqua Marina *Offic. Sea-Water. Præp.* Sal marinus. *Offic. Kentm.* 9. Niger quibusdam. *Bay-Salt*. Hic sal ferè durior & nigrior est quam fossiles. Evaporatione Aquæ marinæ in calidis regionibus fit. Aquam marinam in receptacula *Salt-Pans* dicta infundunt, ubi Solis calore coagulatur. Pro modis conficiendi, vide *Act. Philosoph. Lond.* n. 51. p. 1025. Ex Hispania & Francia ad nos transportatur.

Alium Salis ex aqua marina conficiendi modum *Lemingtoniæ*, in Comitatu *Hantoniæ* usitatum, ab Insula cui inædificatur oppidum istud, nomine *Port-Sea-Salt*. dicti meminit D. *Joan. Collins*, in Tractatu suo *De Sale & Piscatura*, p. 18. Aquam scilicet marinam in Vasa *Wyne-Pans* dicta infundunt, ubi primo Solis calore paulum evaporatur, postea ignis vi excoquitur, Sal purgatur, & coagulatur.

Quinetiam Salis genus ex aqua marina coquendo efficitur, cujus parandi modus apud *Shields* prope *Novum Castrum* usitatus (quod genus *Sal Novocastrænsis*, i. e. *Newcastle Salt* inde dicitur) ut & in Comitatibus *Dunelmensi* & *Northumbrico* à D. *Collins* libro prædicto, p. 10. quo lectorem refero.

Sal insuper in *Lancastria* ex arena marina elicatur; modum videbis apud clarissimum A. *Joan. Raium*, in *Vocum Anglicarum localium Sylloge*, Ed. 3. p. 209. *Camdenum* in *Britannia*, p. 753. his verbis descriptum: *In ora hac maritima multis in locis sabuli cumulos videas, quibus aquam subinde infundunt, donec salsuginem contraxerit, quam postea subditis glebis in candidum salem excoquant. Nec in Lancastria tantum, sed in Hantonia, ut à prædicto D. Collins, p. 15. certiores facti sumus.*

Johannes Speed Salis cujusdam meminit à lateribus lapidum quorundam in fluvio *Were* juxta *Butterbeck* prope *Dunelmum* jacentium exeuntem, qui Solis calore, æstivo tempore, ab aqua salsa rubent refluxus marini tempore in *Salem* candidum

induratus. A *Camdeno* quoque memoratur in *Britannia*, p. 744. his verbis: *Indè Vedra decurrit, crebrò eminentibus saxis interpolatus, quibus si aqua infundatur, parumque misceatur, salsam imbuit qualitem.*

Sal Catharticum Amarum *Epsom-Salt* vulgò dictum. Sal fossile non est, sed ex recremento *Salis Bitter* dictum, factum est. *Vires*. Calfacit, exiccat, abstergit, dissolvit, adstringit lenitè, consumit superfluitates, penetrat, digerit, aperit, incidit; Venerem stimulat, putredini, venenisque resistit: Hinc convenit, interne, in cruditatibus ventriculi, appetitu prostrato, obstructionibus alvi & urinæ, colicis doloribus, &c. Externe, in ulceribus putridis ac serpentibus mundificandis, in tumoribus simplicibus ac pestilentialibus discutiendis, in Pruritu & Scabie exiccanda, &c. *Schrod.*

A. 6. Aqua Pluvialis *Offic. Rain-Water*. Est aqua levis linguamque minus feriens, fontanæ vicaria, utimur eâ ut plurimum destillatâ. Sunt qui præferunt imbres à Meridie advolantes, vel ab Oriente, utpotè quas radiis solaribus magis imprægnatas & digestas arbitrantur.

A. 7. Aqua Nivea *Offic. Snow-Water*. Pluviali affinis est, magisque penetrans, adeoque & ad sudorem movendum non inefficax, quas vires naturæ salinæ acceptas refert, quæ præ reliquis abundat, vi frigoris condensata. *Vires*. Odontalgiam pertinacissimam aquâ niveâ fuisse domitam, scribit *Zacut*.

A. 8. Ros *Offic. Dew*. Reliquis omnibus subtilitate, adeoque & penetratione antecellit. Præfertur Maialis. *Vires*. Vim habet laxandi, resistit ictibus animalium venenatorum, collectus ab herbis ophthalmicis oculorum affectibus convenit. *Winkel* in *Schrod.*

II. Aquæ Minerales.

SUB aquis Mineralibus comprehendimus Acidulas & Thermas, quæ nihil aliud sunt, quam aquæ mineralibus essentiis in Terræ abyssu imprægnatæ; quæque substantia hæc mineralis varii generis, viz.

1. Metallinæ vel Diureticiæ, Acidulæ vulgò dictæ: celebriores sunt *Tunbrigienses*, in agro *Cantiano*, *Astropienses* in *Northamptonia*, *Knarsburghenses* & *Scarburghenses* in agro *Eboracensi*, *Roadenses* in agro *Wiltoniensi*, *Ipswich* in *Suffolcia*, *Spadonæ* in *Episcopatu Leodiensi*, *Pyrmentenses* in *Germania*.

Hæ à vicino nostro D. *Ben. Allen*, M. B. in *Historia sua Chalybeatarum & purgantium aquarum Angliæ* in duo genera dividuntur: Primum est earum quæ copiosum *Salem nitrosum* continent, quales sunt

sunt quæ ad *Leez*, *Witbam*, & *Markshall* in *Essexiæ* Comitatu, *Knaresborough* in *Eboracensi* Provincia, *Ilmingtoni* in *Warwicensi* agro, & *Aylesham* in *Norfolcia* occurrunt. 2. *Acidulæ* seu *Chalybeatæ* leviores, ut *Tunbrigenses* in *Cantio*, *Wellingburgenses* in *Northamptonia*, *Islingtonienses* prope *Londinum*, *Felstedenses* in *Essexia*, & *Oultonenses* in *Norfolcia*.

Prædictus Autor tertium adhuc Genus harum aquarum constituendum arbitratur, cui *Acido-chalybeatarum* nomen convenire censet. Hujus generis characteristicam facit: Quod ponderosiores sint, coloris sui tenaces, quod mineræ minus, plus spiritus continent, quodque cum gallis colorem *Cerasi* instar rubentem reddant, ad modum Spirituum *Vitriolinorum*. Hanc classem esse ad quam *Markshallenses*, & *Knaresburgenses* propriè & peculiaritèr pertinent. Hanc divisionem instituisse sibi in animo fuisse affirmat, verum ob nimiam festinationem memoria excidit membrum hoc tertium, & omissum est.

2. *Salinæ* vel *Catharticæ*: celebriores sunt *Epshamensis* in *Surreia*, *Barnetina* in *Middlesexia*, *Northallensis* in *Hartfordia*, *Strettamensis*, *Dulleschenfis*, *Actoniensis*, &c.

Hæ etiam à prædicto Autore in tres species dividuntur: 1. *Seleneticæ*, quæ *Epshamie* in *Surreia*, *Actoni*, & *Kensingtoniæ* in *Middlesexia*, & *Colcestriciæ* in *Essexia* seaturunt. 2. Quæ in tertia lutosa æquabili existunt, ut ad *Richmond*, *Lambeth*, & *Strettham* in *Surreia*, *Dulwich* in *Cantio*, *Northall* & *Barnet* in *Hartfordia*, *Upminster* & *Brentwood-Wal* in *Essexia*. 3. Quæ chalybeatam admixtam habent, ut *Scarburgi* in *Eboracensi* Comitatu, & ad *Woodham-Ferrers* in *Essexia*.

Quod ad vires & ulus prædictarum mineralium aquarum attinet, eas in libro prædicto requirendas omitto.

3. *Sulphuræ* seu *Thermæ* *Bathonienses* in *Somerset*, & *Buxtonienses* in agro *Derbiensi*, *Aquisgranenses* juxta limites Ducatus *Fuliacensis* & *Limburgensis*, *Borbonenses* apud *Gallos*, *Baiæ* apud *Italos*, *Badenses* in *Germania*, *Bollenses* in Ducatu *Wirttembergico*, *Budaenses* in regno *Hungariæ*, *Hungariæ*, &c. *Vires*. Aquarum mineralium *Vires*, pro diversitate commixtorum mineralium discernendæ, in quibus tamen, cum impossibile sit, in accuratam earum devenire mixtionem, experientiæ potiores partes dandæ sunt. *Schrod.*

Qui particulares usus variarum Aquarum Medicinalium scire desiderat, adeat prolixas dissertationes Autorum de iis expressim scribentium, viz. *Gab. Fallopius*, *Gesnerus*, *Johannem Baubinum*, *Hen-*

ricum ab Heers, *Baccium*, *Jordanum*, *Autores Venetiis impressos*, *Blondellum*, *Wittium*, *Glosium*, *Listerum*, *Boyleum*, *Slareum*, *Æt. Philosoph. Lond. No 351. p. 564.*

SECTIO SECUNDA.

De Terris Medicamentosis.

EX mineralibus sunt, quæ terræ faciem adhuc quidem retinentia, à communi tamen terra quodammodo recedunt.

Terræ medicamentosæ sunt corpora friabilia, & arida, indurabilia, opaca, si in aqua solutæ fuerint, per filtrum separabilia.

Hæ in quatuor classes dividi possunt, viz. 1. *Boli*. 2. *Argillæ*. 3. *Margæ* vel *Lutræ*. 4. *Cretæ*. De quibus, suis locis.

Terræ variis modis ab authoribus dividuntur, ratione qualitatum, colorum, saporum, odorum, mixturarum, & locorum: vel ratione usus; sic *Figuli* & *Plastæ* sibi seligunt *Argillas* & *Cretas*. *Fabri lignarii* *Rubricas*. *Pictores* *Paretonium*, *Melinum*. *Fullones* *Cimoliam* & *Terram Saponariam*. *Fabri Argentarii* *Cretam argentariam*. Alii alias. *Medici* *Terras præparatas* & sigillatas. Vide *Casp. Swenckfeldium de Fossilibus*, pag. 394. ad pag. 398.

I. De Bolo.

EST terra ex pallido rubra, pinguis, & parùm *Stiptica*, & ad linguam promptè adherens.

1. *Bolus Armena* *Offic.* *Bolus Armena Orientalis* *Mont. Exot.* 13. *Bolus Orientalis* *Charlt. Foss.* 5. *Calc. Mus.* 111. *Bolus Armena* sive *Armeniaca* *Dugd. Ind.* 118. *Bolus orientalis*, quibusdæm *Armena* *Worm. Mus.* 11. *Bolus* seu *Terra Armenica* *Aldrov. Mus. Metall.* 269. *Bolus Armenius* verus *Kentm.* 7. *Bolus vera* quibusdæm. *Bolus Armoniacæ*. Est substantia terrea, ex flavo pallidè rubicunda, ponderosa, pinguis, facile friabilis, saporis astringentis. Eruitur ex terræ fodinis in *Turcia*, & ad nos adfertur. Hodie apud nos est admodum rara, nam quæ apud *Pharmacopolas* adhibetur ad colorem *Rubricæ* accedens, ex *Hispania*, aut ex *Normannia* advehitur, ut scribit *Aldrov. Matthioli* ad *Rubicam Sinopicam* accedere existimat. *Vires*. *Alexipharmaca* est, inhibendo acidum in Sanguine astringit aliquomodo, & hinc in *Fluxionibus* adhibetur,